



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Admirandvm vindictae divinae theatrvm

Tympe, Matthäus

Monasterii Westphaliae, 1611

B.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51314)

BAPTISMA HAERETICORUM
abominandum esse vindicta diuina probat.

I.
 lib. 7. c. 50.

BRedeb. in collat. sacris ait: D. VValterus
 N. Canonicus nuper Antuerpiensis, mo-
 do autem, post Cleri & Catholicorū profliga-
 tionem in collegio Tungrensi Canonicus ex-
 istens. testis oculatus narravit, mulierem quā-
 dā Catholicā eamq; coniu- gatā partu prolem
 enixā esse, quem cū illa Catholico ritu, mari-
 tus vero hæreticus nouo illorū hominū sche-
 mate baptizari vellet, maritū, vxore puerpen-
 dormiente, prolem clam à latere matris sub-
 ripuisse & ad Calvinisticę factionis præcones
 baptizandum pertulisse. Ad quem vbi perue-
 tū est, præco iste prolem baptizaturus morte-
 am eā deprehendit. moxq; cū patre exposu-
 lans, vt quid ipsum tali impostura ludificari
 institueret, vt mortuā sobolem ad baptismum
 adduceret? Pater inopinato casu consternatus
 mox domum reuertitur, cubiculum vxoris
 clam ingreditur, eamq; etiam nū dormientem
 cernens, infantem quem à latere dormientis
 clandestinè subduxerat eadē arte suo rursus
 loco deponit. Tacitoq; gressu recedens, pau-
 loq; post tanquam vxorem inuisurus in cubi-
 culum regressus illam iam euigilantem allo-
 quitur, rogat quo pacto agatur, ac deinde qui
 valeat infantulus, illa ante gestorū ignara in-
 fantulum cōplexa, belle illū adhuc valere ait,
 viuumq;

viuumq; patri blandè exhibet. Pater rei miraculo stupefactus, Calvinianos errores & hereses respuit, Catholicæ vxoris Catholicam fidem & religionem constanter amplectitur.

Anno Domini 1579 Amstelrodami contingit mulierem Catholicam conjugatum peperisse. Maritus Calvinista voluit prolem ritu Calviniano, mater vero Catholico more baptizari. mater pertimescens maritum fore pertinaciorem quàm vt vxoris desiderio cederet, actandem cernens illum ad Calvinianum baptismum petendum accingi, festinauit maritum præuenire & extemporaneo baptis-
mate (quia aliter non poterat) prolem baptizauit. Pater huius facti ignarus prolem ad ecclesiam Calvinianam defert vt baptizaretur, Præco Calvinista eum ad baptizandum se componeret diuino miraculo obmutescit. Maritus rem totam secum admirabundus expendens, re infecta domum regreditur. interrogat vxorem, quid egisset circa puerum illa confessâ est se eum baptizasse. ac tandem rem altius considerans, sicuti præco ille diuina virtute repressus obmutuit, sic iste diuina gratia cooperante veterem errorem omnem excussit, & ad Catholicæ religionis obseruantiam redijt.

Novatum constat eo quod nec chryisma nec exorcismos in baptismo percepisset à maligno vexatum.

2.
ibid. c. 51.

3.
Euseb. lib.
6. hist.
cap. 33.

B 4

BENE

s. p. hist.

Gener. or.

din. præd.

lib. 2. c. 72.

vt ex eo res

fert Alph.

Villegas

Flor. Sæct.

p. 3. vita

173.

Materia

s. q. pecca-

torum.

Delrius

disq. mag.

lib. 6. ca. 2.

s. 3. q. 3.

BENEFICIA ECCLESIASTICA
plura possidens varijs se commaculat
peccatis & periculis exponitur
maximis.

Ferdinandus del Castillo historiographus rerum Dominici ordinis, Boncela, alicuius municipium Coimbricense est, ibi nobilibus natus parentibus quidam Aegidius. Hic, vix dum adolescens industria & fauore tres Canonatus & Prioratum vnum adeptus omnino vitio diffuebat, non indoctus humaniorum litterarum, & philosophiæ, & medicinæ, cui (quod sibi oportuniorem ad nequitiam re- batur) totum se dare, & Lutetiam eius addiscendæ causâ cum cogitaret iter aggressus dæmonem obuium humanam in specie habuit. Malus iste viæ comes à noto sibi sed ignotus paulatim variâ quærere. vt audiuit profectio- nis consilium, quin tu (inquit) me potius audis, scientiam indicabo quæ & adeptu facilis & vsu præcipua ad dignitates voluptatesq; ipsius etiam quam sitis, medicinæ summa perfectio est, Necromantiam dico. Dixit & persuasit. Abducit Aegidium, & adducit in vastum specum, prope Toletanam ciuitatem, ibi occurrere lati & exceperere venientem viri dæmonesq; humana effigie. itur in specum, exigitur non secreti tantum, sed & homagij perpetui sacramentum. Volens adigitur & scheda proprio cõsignata cruore promissum cõfirmat.

firmat. Septennio illicitis artibus, & caliginosa scientia imbuitur. Post Lutetiam profectus miros breui inter Hippocratis sectatores progressus facit, & doctoratus lauream adeptus gliscebant enormia magis magisque peccata, ruebat de scelere in scelus, ambiguum erat fama eruditionis an nequitiae infamia maior. Sed, O Dei bonitatem, vi quem lenitate nequiuerat, statuit trahere. Ecce tibi equitem hoplomachum lanceam vibrantem & intentantem misero, irato vultu, minaci voce clamantem: vitam hanc moresq; desere, ad frugem reuertere. Subitus Aegidium terror occupauit, sed veloci motu cum terrore institutum pristinum displicere desijt. ad volutabrum luti reuerso post triduum idem ille eques iam terribilior non solum minatur, eadem verba repetens de mutando vitæ instituto; sed lanceam pectori infigit & vulnus etsi nõ graue imponit. Fractus animo adolescens dedam. inquit me, faciam Domine quidquid iusseris. Saulum diceres in terram deiectum, Statuit serio se totum deo dicere, & quo intus impelli se sentiebat (urgente, sic opinor, angelo custode, qui apparuerat) religiosæ alicuius instituto familiae se addicere. Hoc animo Lusitaniam repetens, dum per Pallentiam iter habet, vbi tum monachi Dominicani monasterium moliebantur, subit cupido cernendi operis. Vidit viros sanctitate & eruditione claros, quosdam etiam viribus & ætate defe-

ctos, delicate olim nutritos calcem subigere
 ligna dolare, lapides parare, & onera hu-
 meris portare, summa lætitia & alacritate,
 optat se illis iungere, petit instanter admitti,
 impetrat. Tyrocinio defungitur, magna spe
 sanctitatis futuræ excitata, post aliquot an-
 nos missus Santarenum in Lusitaniam, ibi
 crescebat oratione & victoria sui. vnus ange-
 bat scrupulus quod penes dæmonem hære-
 ret schedula illa obscena, igitur ardentius
 Reginæ cælorum se commendabat, mali hu-
 ius remedium aliquod postulabat non sine
 lacrymarum imbre & continuo suspiciorum
 concentu. Quid neget misericordiæ mater
 sic postulanti? Die quadam cum in sacello
 templi prolixius oraret, apparuit illi dæmon
 formidabili aspectu, deteriore vlulatu, con-
 uicium facit, & præstitam fidem, acceptaque
 beneficia petulanter exprobrat. Tandem post
 multa minaciter, & proteruè, & impotenter
 obiecta, faxo, inquit, huius te monachismi &
 violentiæ quæ me tibi syngraphum hunc co-
 git restituere nunquam satis pœniteat. simul
 abiicit eum ad pedes Aegidij, & videri desijt.
 Aegidius chartulã accipit & lacerat minutim.
 Nec vanæ dæmonis minæ fuere, admirandus
 illum modis plus septennio postea vexauit
 mitto vexationes alias, assumebat monachi
 cuiusdam qui in eodem degebat monasterio
 similitudinem, & nihil non quod excogitari
 inter domesticos posset, molestiæ, Aegidio
 infe

inferebat. patiebatur hic sed tandem dolens malitiam illam serpere, & fratrem, vt putabat, illū, Deum sic semper offendere, rem defert Priori, & petit alio mitti caussamq; aperit. accersito fratre deprehensus calumniator, & insolens ab alijs, solitus ab Aegidio vinci, desijt victori negotium faceßere. Viuus tādē clarus multis non virtutibus solum raptibusq;, sed & miraculis varijs anno 1265, mundo de nascitur vt cælo nasceretur. Sepultus Santareni vt sanctus colitur.

BLASPHEMIAE POENAE.

OB blasphemiam Sennacherib Afsyriorum Regis, angelus Domini vna nocte percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, Rex autem cum post reditum in Niniven in templo Nefroch adoraret Deum suum, à filijs suis gladio trucidatus est.

1. 4. Reg. 19. 35.

Thomas Cantipratensis lib. 2. apum, ita de quodam blasphemo scribit. Simon de Tor-naço Theologiæ Doctor & Professor celeberrimus Parisijs disputatione habita de humilitate doctrinæ Christi, in reprobū sensum datus dixit: Tres esse qui sectis suis mundum subiugassent, Moysen, Christum, & Mahumethum, Moysen infatuasse Iudæos, Christum Christianos, Mahumeth gentiles. Nec mora euerfis oculis pro humana voce mugitum emisit, & epilepsia statim elisus in terram die

2. cap. 48.

die tertio eiusdem morbi vindictam accepit, mutusq; mansit, non nominans nisi Alcyden suam concubinam.

3. Petrus Damianus, ep. ad Desiderium abbatem Cassinensem commemorat in Burgundia partibus clericum quendam in bello, cum dixisset sententiam Euangelicam Christi, omnis qui se humiliat exaltabitur, falsam esse, repente gladio per os instar fulminis transfixum.

4. Magnum speculum exemplorum agens de illustribus viris Ordinis Cistercienses refert aleatorem quendam, cum per omnia membra Christi & Mariae horrendè iurasset, sic ut praesentes aures obturarent, & pectora tunderent, ilico corruisse atque si ense transfossus esset voceq; horrida exclamasse: Heu heu miser, quis es qui me interficis? Et volutatus aliquantum humi tartaream animam efflavit. Hinc in dorso eius reperta est plaga recens terribili hiatu dehiscens quati securi facta.

5. Idem addit de alio qui, teste Abbate Gerbaldo, cum foedissimè iurasset per secreta B. Virginis Mariae membra, mox immundo spiritui traditus est, oculis eversis, facie inflata, & lingua ardente ex ore longius porrecta, donec animam eiecit.

6. Pet. Damian. epistola alia ad Desid. abb. In Bononiae partibus, ait, duo quidam viri amicitiae foedere iuncti in conuiuio discumbant,

bant. Gallum coctum in mensam allatum, in multas partes, vt mos est, alter dissecuit, & pipere liquato perfudit. Tum alter: tam egregie dissecuisti gallum, vt nec S. Petrus illum redintegrare possit. Et socius. Sed etsi Deus imperet, nunquam amplius resurget, ad quam vocem gallus repente viuus, & plumis coopertus exiliit, alas concussit, cecinit, & liquore conuiuas aspergit, qui in lepram conuersus est, qua non ipsi solum sed & polteri eorum laborant. Ab Ecclesia autem perpetuæ seruitutis pœna deinceps mulctari sunt.

V Vilhel. Lindanus apologo 2. religis cath.æ Narrat sub annum dom. 1567. in oppido Hollandiæ. Aspera anabaptistarum delirij imbutam mulierem in summa difficultate partus, Deiparâ virginem appellasse Scropham, cum à circumstantibus monita esset de auxilio eius inuocando, ac confestim diuinitus punitam, & nigellas aliquot edidisse scuculas licet emortuas. Cuidam (ait P. Bonifacius li. 5. c. 1.) Hollandicæ mulieri ex anabaptistarum fæce, quibus Deiparæ virginis maxime inuisa religio est, pariendi tempus aduenerat, aderant cognatæ & vicinæ, quarum vna puerperam monuit vt se in tanto vitæ discrimine virgini commendaret, cui illa, quid mihi istam (horresco referens) immundam suam appellare opus est? sequitur illico horrendi pœna conuitij, non quidem pro ratione flagitij & facinoris execrâdi, sed ad memoriam

tamen

7.
cap. 11.
Bredenb.
li. 2. c. 29.
Horribile
in Deiparâ
conuitium
mirabili
vindieta
castigatur.

tamen posteritatis maxime insignis. Statim enim vt nefariam illam vocem, quam & animus & aures exhorrescunt, hæretica mulier emisit, nigellas aliquot fuculas, partim viuas, partim mortuas edidit, monstrosoq; illo partu portentosa blasphemiæ pœnas aliquas dedit ex parte, & se porcã turpissimã atq; spurcissimã testificata est, quæ porcas peperisset, siquidem vnumquodq; animal sui simile generat, &c.

8.
Idẽ Lind.
lib. 2. de
fug. idolis
cap. 2.
Bredenb.
lib. 2. c. 28.
Vide locum de
Maria.

Est illud in more positum institutoq; Christiano, vt puerperij tempore ad felicem faciliemq; exitum impetrandum coram imagine beatissimæ virginis Christum filium in sinu confoventis cereus accendatur, fidei viuæ symbolum, lucisq; animorum argumentum. Et cum mulier quam Lindanus sibi dicit fuisse notissimã, in partu laboraret, mulieretq; vicinæ, tum cognatæ cõuenissent, vrgentibusq; doloribus vna ex illis quæ aderant, beatissimæ virginis imagini candelam incensam admouisset, puerpera tenax erroris, quem cum matris lacte suxerat, & candelam tolli clamasset, ac sibi Virginis honorem haud placere diceret, qui vni Deo, ex hæretico mendacio, & præterea nemini deberetur, puerum paulo post enixa est, non illum quidem integrum, sed ita deiectũ atq; diuisum vt frustratim educeretur ex utero, nõ sine incredibile matris impiæ cruciatu intolerandoque tormento, &c.

Qui.

Quidam ad turpem concubinatum In-
dam sceminam pellexerat, quam cum aliquā-
do ad infaustum torum. vi minisq; compulsi-
set, prouecta nocte cælum tonitru concuti,
tremiscere terra, densasq; inter tenebras mi-
care ignes, & per fenestrarū rimas infundi, vt
ferirent oculos animosq; adulterorum. Cadit
interea scilicet nubibus largi, fluus imber cum
grandi grandine crepitante super tectum.
Hic mulier subito pauore correpta, virgo,
inquit, Maria ser opem, tuere me obsecro. At
vir ferox, & impius mediam cōplexus, tace,
sis stulta. Scilicet auxilium vllum ferre po-
test Maria. abscondit extremam vocem fulmen
subitum quod intonuit, & adhuc loquen-
tem auellit ob amplexu mulierculæ, quatu-
orq; aut quinq; passus eiecit extra lectum, &
flamma cōcipit arida nutrimenta, surgit mu-
lier perterrita, miserū inclamat, excitat, per-
vellit, nempe metu exanimatum, non exani-
mem putabat. Trahit digitos pedum, corru-
unt pedes ipsi, diuelluntur, conantem domo
ingredi, & mortuum extrahere, impediēbat
ignis introrsum repellens, ad extremum vo-
ciferata horrendum conciuuit vicinos, & æ-
grè protracto informi cadauere reperiunt
hominem mirum dictu, hiantē ore, sine vl-
lis dentibus, sine lingua, omnia præterea
membra ita soluta & fluxa vt vel leuiter con-
trectata manum sequerentur. Hic finis im-
puri impudiciq; hominis fuit, at mulier
alie-

9.
Franc.
Bencius in
annal. 1588
de rebus
Collegij
Pacensis
in Prou.
Peruanae

alieno malo edocta, quanquam extra periculum, non extra metum, cum vnde quadraginta millia passuum confecisset, ad nostrum templum se contulit meliori vitæ instituenda.

10.

Exact. 4.
Concili
posterioris
Nicæni.
Baron. an.
Chr. 627.

Pf. 38. Cef-
sare facias
linguam
tuam à
malo, &c.

Dat poenas
blasphem
iaz.

Cum corpus S. Anastasij martyris translatum est Cæsaream mulier quædam ex principibus ciuitatis fœminis, cui nomen Arete, summa à virtute, quam Græci ἀρετή vocant, se alienissima, ad infidelitatem conuersa dixit: Ego reliquias è Perfide venientes quam venerabor, &c. Sed quid glorificatus os quos glorificat Deus in hanc designat. Cum esset exstructum Oratorium (his temporibus) prope Tetrapylum (locum in metropoli ciuitatis) S. Martyr in habitu monachi perstratum coram misera astitit illique ait: Ego quibus agrotas? ipse autem respondens, non respondit, domine, neque enim quicquã malum habeo. Postquam hæc dixisset, expergescit, & subito dolores in se ruere sensit, coepit quærens mare & gemere, atque adeo grauiter afflicto fuit, vt ne otij quidem satis habuerit quod plorare quiuisset quænam tam subiti & violenti mentis doloris causa quisue auctor esset. Sic enim quatuor diebus in cruciatiōe substitit. Quinto autem die sub crepusculo vidit sibi sanctum illum astantem, atque ait: Domine, descende ad Tetrapylum, & per intercessionem apud Deum pro me impolce, quo sana fias, ipsa igitur cum surre-

set ex
illa &
xerat
dixit
Anal
sum r
venie
Deus
landa
runt.
G
fa em
lacry
mnis
quæ n
sterne
marty
quæ p
trema
vna ci
magn
Pro
drum
permi
An
entian
sim, ex
Catho
lium C
sue Sa
Eccler

set ex grabato, in memoriamque blasphema illa & impia verba quæ contra caput suum dixerat, redirent, contuocatis liberis suis ad eos dixit: Tollite me, tollite me, inq; templum S. Anastasij concedamus: siquidem iam edocta sum meo cum periculo, reliquias ex Perfide venientes adorandas venerandasque, & quæ Deus sacrauit ea non esse communia appellanda, impositam itaque eam ferculo baiularunt.

Cum autem appropinquaret ipsi loco, ipsa eminus conspicata sancti imaginem, cum lacrymis cœpit exclamare: Hic est qui in somnis verè à me visus instruxit me de malis quæ me habent, deinde seipsam in solum prosternens Sanctumque orationibus flebilibus martyrem placans sana firmaque surrexit, & quæ paulo ante alienis pedibus incedebat extremaque patiebatur, nunc suis ititans domum vna cū reliquis Deum glorificas martyremque magnificans perrexit.

Pœnitens
mulier
sanatur.

Propter blasphemiam D. Paulus Alexandrum & Hymenæum dæmoni torquendos permisit.

11.
1. Tim. 1,
20.

An. 1598. Cum Hollandi occupassent Tuentiam cæteraque loca inter Rhenum & Amasim, expulsis Regijs, iidem Holladi in locum Catholici Satrapæ Tuentiæ constituerunt alium Calvinianæ hæresis. hic cum in oppido suæ Satrapæ Dissen nominati in Parochiali Ecclesia post iconomachiam strenuè peractam

12.

C etam

Stam inuenisset casu iacentem statuam B. Viginis, impingens in eam pedem dixit, adhuc hic iaces diabole? nec mora, vltio diuini blasphemum comprehendit, siquidem inde excreuit verruca speciem imaginis referens ac diris cruciatibus hominem afficiens adhibiti chirurgi, ressecarunt primo verrucam, nihilominus dolor excreuit, nec ardentiam amplius vlllo medicamine restingui leniri potuit. Inde Dauentriam delatus sperabat à medicis solatium quibus visum pedem esse abscindendū, quo facto ignis transijt vltius in carnes ante adhuc sanas, tum cundo etiam tibia iuxta poplitem ressecata nihil tamen effectum, paulatim enim ignis totum locum occupans miseram animam flare coëgit.

13.

lib 4 dial.
cap. 18.

Patris negligentem
educantis
crimen in
hoc puero
diuino est
iudicio
vindicatū.

S. Gregor. scribit, puerulum quinque annorum (seu annorum quinque) propter linguam dissolutionem qua Dei nomen (quod est et nefarium) impijs execrationibus lacebat. (vel assuetus erat maiestatem Dei blasphemare) à matris quos puer contremiscebatur se videre (hoc est, à malis spiritibus) in gremio patris auulsum in tartara esse delatum.

Cum enim inter brachia patris blasphemum aliquid dixisset, vidit subito inuadente se teterrimos spiritus, quorum horribilem speciem sub Aethiopum imagine, tamen ipse pater perferret, coactus est tamen eis p

rum tradere, infelicissimam statim animam exhalantem. Atq; hæc in sinu patris fieri voluit Deus, vt ille intelligeret quod paruulum tam male educando non paruulum peccatorem gehennę ignibus nutriuisset.

VINDICTA CALVMNIAE.

CUm Gregor. Thaumaturgus degeret in **C**Agypto in magna Alexandri vrbe, in quam ex omnibus partibus philosophiæ ac medicinæ studiosa iuuentus confluebat, molestū spectaculum erat æqualibus, adolescens supra ætatem sobrietate sapientiāq; ornatus: eius enim vitæ puritatis ac integritatis laus impurorum probrum erat & dedecus. vt igitur aliquam excusationem intemperantes ac libidinosi haberent, si ipsi non soli tales esse viderentur, insidias comminiscuntur, & vaftrum quoddam consilium excogitant vt aliquam notam & maculam magni illius viri vitæ inurant. Ac producitur, ab his qui illum calumniabantur, muliercula meretrix quæ corpore quæstum faceret, infamia irrogata, ex carcere dimissa. Cumque ille, pro consuetudine, cum viris doctis atque delectis, in habitu graui atque honesto de quapiam quæstione philosophica disputaret, vnaque se cum illis exerceret, muliercula accedit ineptis gestibus formam ostentans, & mollitiem luxumque præ se ferens, & per omnia, quæ dicebat & faciebat, sese consuesce-

1.

Consule
locum de
periurij
pœnis.

C 2 te cum